

Alte Drucke

APOLOGIA || FRANCISCI || MONTANI PRO SOCIETATE || IESV IN GALLIA. || CONTRA ANTONII ARNALDI || Aduocati Parisiensis Philippicam. || Ex Gallico in ...

Richeome, Louis

Cracoviae, 1597

Caput LVIII.

Nutzungsbedingungen

Die Digitalisate des Francke-Portals sind urheberrechtlich geschützt. Sie dürfen für wissenschaftliche und private Zwecke heruntergeladen und ausgedruckt werden. Vorhandene Herkunftsbezeichnungen dürfen dabei nicht entfernt werden.

Eine kommerzielle oder institutionelle Nutzung oder Veröffentlichung dieser Inhalte ist ohne vorheriges schriftliches Einverständnis des Studienzentrums August Hermann Francke der Franckeschen Stiftungen nicht gestattet, das ggf. auf weitere Institutionen als Rechteinhaber verweist. Für die Veröffentlichung der Digitalisate können gemäß der Gebührenordnung der Franckeschen Stiftungen Entgelte erhoben werden.

Zur Erteilung einer Veröffentlichungsgenehmigung wenden Sie sich bitte an die Leiterin des Studienzentrums, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

Terms of use

All digital documents of the Francke-Portal are protected by copyright. They may be downloaded and printed only for non-commercial educational, research and private purposes. Attached provenance marks may not be removed.

Commercial or institutional use or publication of these digital documents in printed or digital form is not allowed without obtaining prior written permission by the Study Center August Hermann Francke of the Francke Foundations which can refer to other institutions as right holders. If digital documents are published, the Study Center is entitled to charge a fee in accordance with the scale of charges of the Francke Foundations.

For reproduction requests and permissions, please contact the head of the Study Center, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

urn:nbn:de:gbv:ha33-1-154864

ligenter notetur tempus datæ epistolæ, quod est secundus dies Nouembris anni M. D. Lxxxxj. At Iesuite tibi respondēt, P. Matthæum Iesuitam mortuum esse Anconę Anno M. D. Lxxxix. nec alium sese habuisse aut nouisse Parisiis eius nominis aut cognominis: si iste tunc resuscitatus est ante generalem resurrectionem, si equo Pegaseo Ancona in Hispaniam volauit, vt causam Regis ageret, si Lutetiam venit acceptum istam epistolam, grande meritò censetur miraculum: sed si non est excitatus à mortuis, magnus utiq; impostor & sycophanta es, præsertim cùm ille Matthæus nunquam, dum viueret, Hispaniã viderit. Auctores, à quibus figmentum hoc accepisti, fefellerunt te, miser Arnalde. fuit quidā Pater Matthæus Hispanus, sed non Iesuita, cuius epistola intercepta: sed cùm mendaces illi impostores cuperent à te Iesuitas atrocissimo mēdacio onerari, hoc tibi suggererūt, osq; tibi adeò diduxerunt, vt impostorū asini instar frenis coercendus sis, si quis te, dum loqueris, in officio continere velit.

CAPVT LVIII.

Iesuitas non esse reos læsæ maiestatis.

A Republica Iesuitarum seditionibus turbata, gradum facis ad crimina læsæ maiestatis: hæc accusatio si probatione non destitueretur, reliquis omnibus validior, & ad id, quod contendeabas efficiendum, efficacior, & ad Iesuitas communi omnium mortalium odio grauandos, & exilio sempiterno mulctandos accommodatior esset. Nihil est in terris augustius, nomine & maiestate regia, nihil quod summos & infimos tantum ad vindictam incitet, quantum scelus in Regem vel animo conceptum, vel opere perfectum. Regibus deferri iubent leges

diuinæ reuerentiam, obseruantiam, obsequiū, graui in per-
 uicaces & parere nescios pœna constituta. Humanæ leges
 nusquam magis rigidæ & seueræ, quàm hîc. Puniant tanti
 criminis reum & viuum & vitæ functum: nec in ipsum dun-
 taxat hæc pœna expetit, sed & in fortunas illius, in condi-
 tionem & statum, in coniugem, in liberos sine exceptione
 & venia. De liberis quidem huiusmodi homine prognatis,
 Lex ita edicit: *Sint postremò tales, vt eis perpetua egestate sorden-*
tibus, sit & mors solatium, & vita supplicium. Quamobrem si Ie-
 suitæ tam immanium criminum legitimè conuicti fuissent,
 meritò te procurante pœnas illas Legum seuerissimarum
 expendissent, meritò in odium immortale populi incurris-
 sent, meritò in offensam omnium Principum & optimatum
 incidissent, tibi quæ fidelis subditi & integerrimi caussidici
 laudem & gloriam cōparasses: Sed cū Iesuitas nulla pro-
 batione tantorum scelerum postulaueris, iure optimo inter
 peruersissimos & improbissimos adulatores & calumniato-
 res collocaris. Tam sacræ, quàm profanæ historiæ docent,
 atrociore calumnias aduersus viros probos excogitatas,
 omnibus seculis ex hac officina profectas, & super hac, vt ita
 dicam, incude fabricatas & dedolatas. Omisissis exemplis
 profanis, vnum aut alterum ex sacris literis seligam.

1. Reg. 22.

Doeg impostor, magna auctoritate in aula Saulis, Dauidi
 & Achimelech summo Sacerdoti perniciem struens, hoc
 artificio vsus est, persuaso Rege, quòd suo capiti insidias
 tetendissent: Rex accersito in Regiam eodem Achimelech
 Sacerdote, comitantibus illum octoginta quinque Sacerdo-
 tibus Leuitici generis, omnib. Ephod lineo vestitis: *Quare,*
inquit, fili Achitob coniurasti aduersum me, tu & filius Isai? Mor-
te morieris tu & omnis domus patris tui, occlusisq; ad omnem ra-
tionem & excusationem auribus, trucidari iussit Sacerdo-
tem cum toto comitatu & cognatione sua, & quidem gla-
dio

L. Quisquis. C.
 ad l. lul. Maiest.

Ibid.

Vnde calumni-
 atores materiā
 criminandi pe-
 tant.

dio illius, qui iam antea spiculis linguæ suæ eosdem peremerat & impiè infamârat: Satellitibus Saulis tam nefandum facinus aggredi detrectantibus, ne sese Sacerdotum sanguine contaminarent. Eadem crudelitate sæuisset in ipsum Dauidem, si quo casu in manus eius incidisset.

Nec abstinuit simili fraude Aman, quando in animum induxit, totam Iudæorum gentem ex Assueri regno exterminare, sic Regem affatus: *Est populus quidam in regno tuo nouus vtens legibus & caeremoniis, & quod peius, Regis scita contemnens, nō expedit regno tuo, vt per licentiam insolescat: decerne, vt pereat: Promulgatum est edictum, sed, quod bene vertit, in exitum auctoris, calumniatore suspenso, & innocentibus liberatis.* Ex potissimis persecutionibus, quas dæmon contra Ecclesiam vix ex incunabulis egressam excitauit, illa fuit, cū Christianos traduxit tanquam iuratos & capitales hostes Imperatorum, omnisq; Maiestatis & Dominationis. Non ignorabat vaser ille & callidus artifex, se concitato in Christianos supremo omnium Magistratu, talem machinā adhibere, cuius violento impetu non longo pōst tēpore cōciderēt, & funditū subruerent. Si palam fecero, te tibi imitandos proposuisse, imō longo interuallo superasse Doēgos & Amanos, falsisq; criminibus Iesuitas à te oneratos esse, tum totus orbis agnosceret, te in hac accusatione verum fuisse dæmonis organum, sicut illi fuerunt, filios Dei, insectando, teq; mercedem Amani promeritum, & omnia illa supplicia, quæ reis læsæ maiestatis, Regumq; intersectoribus decreta sunt. Sed nunc accusationis tuæ capita examinemus.

Prima tua probatio fuit, quod Frater Clemens prius animum apud Iesuitas confessione expiarit, quàm Regem medio tolleret. Nullus vnquam extitit, cui hoc vel per so-
Quomodo probet Arnaldus Iesuitas esse reos Maiestatis.
 à vero sit alienissimum. Nam quilibet Religiosus confite-
 tur illis

Mendacium cui nae conscientie viri in illa nobili familia S. Dominici, vt ne-
inus ipsum Ar- cesse non fuerit, Iesuitarum opera vti. Hic quidam amicus
uadum puduit. tuus, qui melius nouit Religiosorum leges, monuit te, ne

hoc mendacium typis mandares; sufficere enim, quod e-
 uulgaueris ianuis clausis; prudenterq; fecisti, cum eius cōsi-
 lium sequi, & tuo silentio linguā tuam cōdemnare voluisti.

Secundò, vt probationi tuæ fundum & fundamentum
 substernas, argumentaris ex Iesuitarum legibus, quos in
Summario suarum Constitutionum pag. 308. tui exemplaris
 impressi, hæc verba habere dicis: *Tyrannos aggredientur*,
 quod, te interprete & glossulario, nihil aliud est, quàm toti
 mundo interitum & perniciem extremam moliri. Respon-
 deo paucis, te mendaciis impudenter habenas laxare, neq;
 quid sit istud *Summarium* Constitutionum nosse, nisi ex ali-
 orum sermone. Hoc *Summarium* quacunq; editione non
 constat pluribus quàm triginta paginis, & communiora ex-
 emplaria tantum septendecim: ducentos igitur & septua-
 ginta octo numeros libro iam finito non sine grandi men-
 dacio adijcis: vix reperias quantumuis agilem, qui tam ex-
 pedito saltu lineā præfixam transfiliat. Sed hic est eloquen-
 tiæ tuæ impetus, qui te toties extra veri rectiq; metas abri-
 pit. Prætereà dico, *Tyranni* nomen in toto Constitutio-
 num *Summario* nusquam legi, & licet ibi reperiretur, quid
 argumenti inde tibi subministraretur. Nomen *Tyranni*
 non pertinet ad Reges, maximè ad Reges christianissi-
 mos Gallie: His addo, auctorem illorum verborum non es-
 se Iesuitam, sed Iurisperitum commentatorem Bullarij Lug-
 duni Anno M. D. Lxxxviij. excussī, qui scribens super Bul-
 lam Pauli III. occasionem sumit laudandi istam Societa-
 tem. Nec significant verba illa, quod tu finxisti, sed Iesui-
 tas eo modo aggredi Tyrannos, quo Sancti Martyres, &
 alij

alijs olim zelò christiano ardentes eosdem aggrediebantur, detestando videlicet & extirpando idololatriam, paganismum, immanitatem barbaram, & id genus alia vitia. Hoc modo S. Ioannes Baptista aggressus est & redarguit Herodem, & alijs alios Reges & proceres, & improbitatis quasi antistites. Hoc sensu protulit verba ista Iurisperitus ille, cum recitaret, quid Iesuite sub initium sue Societatis egerint contra Lutherum & Hæresiarchas, Tyrannos fidei Catholicæ, in quos irruerant & insiliebant armis spiritualibus. Quo loco malitiosè commutasti tempus præsens in futurum: nam in Commentario habetur: *Aggrediuntur*; sed tu vt verba stilo legis accommodares, & imposturæ tuæ vim adderes, posuisti (*aggredientur*) Accipe verba Petri Matthæi in illam Bullam. *Dum superfeminat inimicus homo zizania*, adsunt diuino *Petrus Mattheus I. V. D. in* *pneumate acciti Patres Societatis Iesu, qui Petri sedem illustant*, *Lutherum arma diuini eloquij parant, Tyrannos aggrediuntur, lolium ab agro Dominico euellunt, & fidei Christianæ præclarissimi buccinatores verbo & exemplo cunctis prælucent. Interea (inquit) dum inimicus homo (videlicet Lutherus homo terrestris, & instrumentum spiritus maligni, veriùs hominum inimicus) interea dum lolium seminat*, adsunt Patres Societatis Iesu diuino spiritu acciti, qui S. Petri sedem illustant, sumunt arma verbi Dei contra Lutherum, Tyrannos aggrediuntur, euellunt lolium ab agro Dominico, & tanquam præclari buccinatores fidei Christianæ omnium primi sunt verbo & exemplo vitæ. Perpendas igitur apud animum tuum, si recta mens & iudicium sanum, quanta sit tua impudentia & malitia, dū hoc loco huius Doctoris abusus, probare contendis Iesuitas inter suas regulas vnam habere, quæ sit de Regibus perimendis. Nonne furijs afflatus in illam apostrophem prorupisti? Quid nunc Reges ac Principes terræ? Estne quod amplius securi degati, & à metu percussorum, siue in aularum vestrarum penetralibus

netralibus, siue inter apparitorum satellitia, si Diabolicum illud dogma, quodque infernus est penitus suo euomit fundo, hominum animis porro insuat? Non est sane: at interim tamen illud ipsum iisdem inculcant instillantque Iesuitæ per auriculares suas confessiones. & cur non? cum vel ei rei regularum suarum vi tantum non obligentur, quarum vna habet, Tyrannos aggredientur, lolium ab agro Dominico euellent. Si ipse Cacadamon orationis aliquam seriem & contextum deprauare voluisset, equidem deterius & sceleratius id non fecisset. Bone Deus, quanta vocis laterumque contentione exclamasses, qualia glossmata nobis attulisses, si in summario Constitutionum Iesuitarum legisses, Reges christianissimos esse asinos, mimos, & bruta animalia, deturbandos de throno, nisi conscientie libera frena permittant: & nisi ceremonias Ecclesie aboleant, non honorandos, sed sputis complendos esse. Sed dic oro, vellicabátne animum tuum scrupulus aliquis, vel potius habebásne oculos, quando legebas Commentarium illius Iuriconsulti? Num iudicium tuum hypothecæ loco alicubi oppigneràueras, quando locum hunc afferebas, minimè aduertens, fraudem ab aliis notatum iri? Cur non repetiuiisti, vt eo in re tanti ponderis vterreris, pulchrioribusque coloribus figmentum tuum fucares? neque absque iudicio libellus supplex offerendus erat. Hinc nihil effecisti, cum ubique dixeris & scripseris absque iudicio.

CAPVT LIX.

De Barrierio, qui Regem occidere voluit.



Estium argumentum, quo idem crimen probas, constat testimonio Barrieri, qui Meloduni Capitali supplicio affectus est: argumentum hoc iudicio tuo firmissimum est ad expugnandum Iesuitas, tuumque tormentum bellicum vel precipuum